



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 20. An omnis speculativè, etiam sit practicè probabilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

fit attingere corpus alienum nudum : denique recentiores , ut has omnes explicationes concilient , dicunt illam esse speculativè tantùm probabilem , quæ vel de praxi nihil enunciat , vel tantùm procedit habitâ ratione principij universalis , non consideratis illis , quæ cum praxi communiter conjungantur ; è contrà dicunt illam esse etiam practicè probabilem , quæ enunciat licitam esse praxin post omnia considerata , quæ in praxi apta sunt contingere : & cum his communiter loquemur .

§. III. Alia dicitur probabilis quoad se , alia quoad nos : probabilis quoad se est , quæ à parte rei nititur motivo gravi , licet fortè ejus gravitas à nobis non agnoscatur ; probabilis quoad nos , quæ invincibiliter à nobis judicatur niti motivo gravi , quamvis reipsa grave non sit , ideoque opinio talis , quæ reipsa non nititur motivo gravi existente sed tantùm præsumpto vel existimato , licet secundūm se non sit reipsa probabilis , tamen respectivè ad intellectum nostrum ita dispositum censetur probabilis . Opinio probabilis quoad nos subdividitur in certò , probabiliter , tenuiter & dubiè probabilem , uti dicerur à n. 119.

Q. 20. An omnis opinio speculativè probabiliis , etiam sit practicè talis. R. Negativè cum Carden. in i. Crisid. 14. c. 2. & d. 56. c. 3. contra Carram. J. Sanch. F. Lugo & alios , Ratio est , quia potest dari actio alioqui licita , quæ in praxi exerceri non possit absque circumstantia scandali aut irreverentiaz , vel absque periculo peccandi aut damni proximo causandi , uti constat in exemplis n. 115. alii latis aliisque similibus , sic enim etiam speculativè probabile est consecrationē in pane filigineo esse validam , tamen non est probabile practicè , quia probabile non est , quod liceat in pane filigineo consecrare .

D 5

Responso.

118

Respondet Caramuel, si in praxi addatur nova circumstantia, quæ non fuerit considerata in speculatione, fore casum diversum, circumstantia enim nova mutat casum: *Contrà est*, manet hoc, quod praxis possit superaddere circumstantiam non consideratam à speculatione, & ideo opinio non sit practice probabilis, quamvis fuerit talis speculativè; patetque etiam in hoc exemplo, nam si à superiore mihi prohiberetur usus alicujus sententiæ probabilis, illa respectu mei maneret speculativè probabilis, non tamen practice: videri tamen potest *Ills. t. i. d. i. n. 69.* non malè explicans *Auctòrum* aliorum sententiam.

119

Q. 21. Quænam opiniones dicantur certò, probabiliter, tenuiter, dubiè probabiles, R. Certò probabiles dicuntur, quarum probabilitas certò nobis innotescit; tantùm probabiliter probabiles sunt, quarum probabilitas innotescit tantùm probabiliter; tenuiter probabiles sunt, quæ nituntur motivo ita leví, ut non mereatur assensum viri prudentis; dubiè probabiles sunt, de quarum probabilitate est prudens dubium: quæ omnia declarari possunt hos modo.

120

§. I. Certò probabilis est opinio, quæ de facto viget inter auctores, quamque Ecclesia tolerat, nec sapientes improbat: si tamen alicui contra eam occurrerent novæ & gravissimæ rationes, defineret respectu ipsius esse certò probabilis,

121

§. II. Si sciam opinionem aliquam esse communem Theologorum, vel doceri à *S. Th.* & ejus schola, tunc est mihi certò probabilis: è contrà si vir magnæ auctoritatis dicat opinionem aliquam esse communem, vel à *S. Th.* & Thomistis doceri, potero tantùm probabiliter judicare esse probabilem, non ero tamen de hoc certus, quia illius unius dictum non reddit me certum, quod ita sit, nisi aliunde